



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio  
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1652**

XLVII. Vrùm Augustinus physicæ præderminationi aliqu[n]do faueat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Confirmatur.

ione assumptum, quia Augustinus locis supra citatis dixit, cum eadem vocatione hominem interdum nolle, & alium non velle, vel eundem in diuersis temporibus, vt ex Psalm. 142. allegauit, & de Tyrijs, & Sidonijs comparatione Iudaorum dixit de don. persever. cap. 14. & supra tractatum est, ergo ex sententia Augustini illa vocatione ex natura sua talis est, vt ei resisti non possit. Vnde non solet explicare Augustinus efficaciam gratiæ, aut vocationis per impotentiam resistendi, aut dissentendi, sed per certam effectus consecutionem, sicut de don. persever. c. 14. dixit, media prædestinationis esse illa, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Et in lib. de Prædestinatione. Sanctior. c. 8. de hac gratia loquens, ait, *A nullo dabo corde respiciatur, quia ex intentione Dei est, vt non respiciatur, vt subdit dicens, Ideo enim tribuitur, vt cordi diuitia penitus auferatur, & ideo etiã tribuitur, sicut apertum est ei, qui vocatur, seu sicut sit ei congruere, vt vocantem non respiciat.* Sicut dixit q. 2. ad Simplician. ergo ponit Augustin. efficaciam salua potestate resistendi: talis autem efficaciam non potest esse prædeterminationis, vt supra ostendi, etiã ex aduersariortum confessione, est ergo congruentia præcognita à Deo, vt satis expresse in verbis proximè citatis Augustinus declarauit.

18. Confirmatur.

Denique confirmari potest idem antecedens ex alio principio supra posito in doctrina Augustini, homini sufficienter vocato, & non consentienti, culpæ attribui, quod vocationem contemnat, ei quæ resistat, vt expresse dicit de Esau dicta q. 2. ad Simplician. & de Pharaone dicta q. 68. & 83. & vniuersaliter ibi ait, *Qui noluerunt venire, non debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in libera eorum voluntate.* Idem habet 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & in Enchiridion. c. 64. & de natur. & grat. c. 67. Hinc ergo colligimus vocationem sufficientem quatum ex se est, esse efficacem, nisi homo ei resistat, ac proinde illi eidem auxilio quod est efficax, quando ei non resistitur, posse resisti. Probatur hæc illatio, quia si vocationi sufficienti resistere culpa est, ergo illa vocatione dat proximam potestatem efficiendi, ita vt possit reduci in actum sine alio præuio auxilio, si voluntas velit. Nam si alia motio esset necessaria, cum hæc non datur, nec fit in hominis potestate, non habet homo per solam vocationem priorem proximam potestatem consentiendi illi, ac subinde homini non consentienti tali vocationi, non potest id ad culpam illi imputari; quia non habet in potestate sua consensum, & quod non est in potestate nostra, etiam illi non fiat à nobis, non imputatur nobis, vt proximè ex Augustino dicebamus. Et augeatur hæc ratio in eadem doctrina Augustini, quia auxilium efficax est necessarium, vt de potestatem agendi, & consentiendi, quia præparat voluntatem, vt velit, vt patet per Augustinum epist. 107. & alijs locis supra citatis: per illam autem præparationem datur voluntati potestas pie operandi, teste eodem Augustino lib. 1. Retractat. c. 22. & lib. 2. cap. 1. & in Enchirid. cap. 32. & serm. 10. de verb. Apostoli. Imò lib. de grat. & liber. arbitrii. c. 16. dicit dare vires efficacissimas voluntati, ergo vocatio efficax dat potestatem agendi, & consentiendi; ergo si non est in potestate hominis facere, vt vocatio efficiens sit efficax, non potest illi tribui, quod resistat.

19. Sumitur.

Octauam rationem sumo ex eo quod in doctrina Augustini, neque Angelis, neque hominibus in statu innocentie fuit necessaria prædeterminatione physica ad suam conuersionem, vel ad resistendum temptationi, ergo per se non est necessaria ad actus supernaturales, neque ex vi præuio concursus Dei, neque propter actum excellentiam, seu supernaturalitatem, ergo neque in statu naturæ corruptæ est necessaria illis titulus, neque etiam propter corruptionem naturæ, tum quia sicut tentationes, & difficultates insurgentes ex hac naturæ corruptione, non phy-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

sicè, sed moraliter inducunt ad malum, ita contra illas efficax esse potest in eodem genere moralis inductionis gratiæ illuminantis, & inspirantis; tum etiã, quia illa necessitas non posset esse ad singulos actus, iuxta doctrinam in lib. 1. & 2. datam, quod etiam est contra rationem auxilij efficacis, vt ex dictis in principio huius libri constat. Ergo si verum est illud principium, manifestum est non posuisse Augustinum prædeterminationem physicam vt necessariam ad opera gratiæ, ac proinde non posuisse in illa efficaciam auxilij, seu vocationis. Principium autem illud, seu antecedens probamus ex lib. de corrept. & grat. ca. 11. & 12. vbi Augustinus ait, Adamo in statu innocentie datam esse gratiam, qua posset perseverare, vitando peccatum, non tamen esse datam gratiam, qua illud vitaret, & perseveraret. Et idem dicit de Angelis. Dices hoc verum esse de Adamo, & de Angelis malis, quia illis non est data gratia efficax non verò de Angelis bonis, quibus est data. Sed contrarium de omnibus Angelis sentit Augustinus non esse illis datam gratiam de se efficacem, ait enim voluisse Deum in illis experiri libertatem arbitrij, & subdit, quod sicut mali Angeli per suum arbitrium ceciderunt, ita boni per suum arbitrium steterunt; ergo non ex prædeterminatione gratiæ steterunt, alias nihil in eo discrimine libertas arbitrij ostenderetur, nec esset differentia inter homines, & Angelos, quam ibi Augustinus ostendere vult. Scio in nostra sententia etiam esse difficile illam differentiam, quam difficultatem in superioribus tractauimus, & infra iterum tractando de dono perseverantiae euoluenda est, nunc nobis sufficit, quod si Angelis bonis fuit necessaria prædeterminatio, sicut nobis esse dignum, non potest subsistere quod Augustinus ait, in Angelis, & primo homine voluisse Deum experiri libertatem magis, quam nunc in hominibus lapsis experiat. Quod si locus hic cogere alieni non videatur, profectò superiora videntur satis superque sufficere: multa enim, vt existimo, conuincunt, posuisse Augustinum auxilium efficax præueniens in vocatione congrua non prædeterminante, sed modo accommodato inducente hominem infallibiliter ex præscientia Dei. Et omnia simul sumpta hanc fuisse mentem Augustini satis ostendunt, necque id euidentius expendendo loca Augustini, in quibus contrariæ sententiæ Auctores opinionem suam fundare conantur.

Instantia.

Euergitur.

## C A P V T XLVII.

*Utrum Augustinus physicæ prædeterminationi aliquando faueat.*

**R**espondemus nullam inueniri apud Augustinum testimonium, in quo id doceat, vel ex quo satis probabili coniectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus discurrendo per omnes modos loquendi Augustini, quos vel ab alijs nobis obiectos inuenimus, vel nos notare, & inducere potuimus: non enim semel, sed sæpius, totã Augustini doctrinam, præsertim ad hanc materiam pertinentem, euoluimus, non quid ex præiudicio, & animo defendendi propriam sententiam, sed omnino inueniendi mentem eius, nihilque occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

1. Respondetur. Probatur responsio.

Primam objectionem sumunt ex errore Pelagij, contra quem Augustinus disputauit, supponuntque Obiectio ex Pelagium non errasse in gratia excitante, sed in errore Pelagiuante, quia Deus efficaciter præuenit voluntatem hominis, & effecit, vt liberè consentiat. Nam omnem gratiam excitantem, quam D. Aug. ponit, dicunt, ad-

2.

Argumenta-  
qui.  
Alvarez.

Arg.

Soluitur di-  
cta obiectio  
ex Augustino

3.  
Instancia.

Responde-  
tur 1.

misisse Pelagium, necesse autem praeuenientem  
physicè efficacè, & contra hoc aiunt; direxisse Aug.  
totam disputationem suam, vnde concludunt, in  
contrario sensu docuisse, necessarium esse auxilium  
de se efficacè, ac subinde prae-determinans. Ita argu-  
mentatur Aluar. disp. 99. nu. 2. & suppositionem illà  
probat ex Aug. epistol. 107. ad Vitalem, refertque  
verba vbi dicit, inter eos agi de Gratia questionem, vtrum  
praeceat, vel subsequatur hac gratia hominis voluntatem, hoc  
est, vtrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam hoc  
etiam efficiat Deus vt velimus. Secundò adducit Augu-  
stinum lib. de Grat. Christi. cap. 10. qui refert sen-  
tentiam Pelagij fuisse, non adiutorio Dei, sed ex nobis ip-  
sis in nobis effici voluntatem bonam, & verba Pauli, Deus  
est, qui operatur in nobis velle. exposuisse de operatione  
per illuminationem, & excitationem stupentis voluntatis  
& cap. 47. nihil aliud Augustinum à Pelagio exigit,  
nisi vt Dei adiutorium admittat. Alias coniectu-  
ras adducit ille Auctor, quas omitto, quia parui  
momenti mihi videntur, & quia superfluum est  
indicijs vti, vbi factum fide dignis testimonijs  
comprobat.

Respondemus ergo primò obiectionem hanc  
falsum supponere. Nam Augustinus libro 1. contra  
duas epistolas Pelagianor. c. 19. ad illos sic loquitur.  
Vos autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem Dei  
gratia, vt in excitandis ei ad ipsum bonum opus voluntate  
nihil eam credatis operari. In quibus verbis aperte re-  
fert August. Pelag. absoluit negasse excitantem gra-  
tiam, seu excitationem voluntatis per gratià, cum  
tamen adiuuantem aliquo modo saltem nomine  
admitterent. Vnde excitantem, & re, & nomine ne-  
gasse videntur, quia licet doctrinam, legem, & pro-  
missiones, quae excitantem, sub nomine gratiae ad-  
mitterent, in illis solis gratiae adiutorium ponebant,  
vt in Prolegom. 5. c. 2. & 3. ex varijs locis Aug. osten-  
sum est. Secundò dicimus obiectionem facta etiam  
in illatione peccare: nam licet Pelagius admitteret  
auxilium sufficiens per veras internas excitatio-  
nes, & negasset efficacè, & in hoc secundo ab Aug.  
impugnatur, non sequitur August. pugnas pro  
auxilio prae-determinante, sed pro vocatione con-  
grua, & efficaci, vt in omnibus suis libris declara-  
uit, sicut iam vidimus. Et praeterea quod caput est,  
maximè errauit Pelagius negando adiutorium  
gratiae concomitans, & physicè adiuuans volunta-  
tem, & in hoc sensu dixit, Non adiutorio Dei, sed ex no-  
bis effici voluntatem bonam.

Sed instant, qui Pelagiani tribuebant Augusti-  
no, quòd libertatem tollerent, vt patet ex epistolis  
eorum, contra quas quatuor libros Augustinus  
scripsit, praesertim lib. 1. cap. 2. & cap. 5. & lib. 4. cap. 9.  
Item lib. 4. contra Iulian. cap. 8. Ergo signum est  
Augustinum posuisse auxilium efficacè prae-deter-  
minans, aliàs nulla virisimilitudine potuissent Pe-  
lagiani id inferre ex sententia Augustini. Respon-  
detur primò, si nunc Catholici inferunt ex verbis  
Augustini prae-determinationem physicam cum  
eam in scriptis suis non solum nunquam nomina-  
uerit, vel insinauerit, sed etiam multa illi contra-  
ria docuerit, quid mirum est quòd haeretici aperte  
intulerint Augustinum posuisse necessitatem auxi-  
lij repugnantis libertati? Malè ergo intellexerunt  
Augustinum, & ideo, vel per ignorantiam, vel per  
calumniam malè argumentati sunt. Addo etiam  
esse valdè probabile putasse Pelagianos, dependen-  
tiam humanae voluntatis in agendo à diuina etiam  
quoad concursum simultaneum esse contrariam  
libertati, & ideo etiam concursum generalem ne-  
gasse, vt in dicto Prolegom. c. 2. & 3. latè dixi. Semi-  
pelag. verò quantum ex epistolis Hilarij, & Pro-  
speri colligitur, ex alio capite putarunt Aug. doctri-  
nam de Grat. esse contrariam libertati, quia pone-  
bat vocationem altam, & secretam necessariam esse

ad opera pietatis, omneque dicebat dari ex sola  
ctione diuina gratuita, nesciebant enim hoc con-  
ponere cum potestate operandi in eis, qui non ita  
vocantur, nec cum potestate non operandi in his  
qui vocantur. At verò eos in hoc errasse, & liberta-  
tem arbitrij optimè cum illis principijs consistere  
ostendit Aug. in libris contra illos, non quidem tri-  
buens Deo physicam prae-determinationem, seu pos-  
tius virtute ostendens illam non esse necessariam  
ad efficaciam gratiae, cum congruitas vocationis satis  
sit, vt ex locis allegatis in capite praecedenti constat.

Et per hanc responsum est ad testimonia ex libro  
de Gratia Christi. Aliud verò ex epistola ad Vita-  
lem nihil facit ad causam. Nam Vitalis ille ad quem  
scripsit Augustinus praecipue negauit praeuenien-  
tem gratiam, nam ob eam rem negabat directè, esse  
orandum pro infidelibus, vt crederent, sed tantum  
esse illis veritatem proponendam, vt bene notauit  
Baron. tom. 5. ann. 419. numer. 54. Vnde ex verbis  
Augustini citatis magis videtur Vitalis fuisse Semi-  
pelagianus, quam Pelagianus, negabat enim vo-  
luntatem credendi esse donum Dei, sed ex solo libe-  
ro arbitrio, solumque requiri, vt doctrina fidei  
hominis proponatur. Vnde Augustinus illum im-  
pugnat, quia vt velimus Deus facit in nobis, & mo-  
dum, quo facit, declarat, dicens. Si ita prepararetur  
que operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantum  
do legem, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio,  
nec vocatione illa alta, atque secreta sic eius ageret sensum,  
vt eodem legi, atque doctrina accommodaret assensum,  
non opus esset orare, &c. Non erat ergo illa questio  
de auxilio prae-determinante, sed de tota gratia  
necessaria ad voluntatem credendi, & maximè  
de interna vocatione accommodata ad actualiter  
credendum, & ita ex illo testimonio potius nostra  
sententia confirmatur, vt in capite praecedenti vi-  
sum est.

Secundam obiectionem sumunt ex errore Semi-  
pelagianorum, dicunt enim errasse in hoc, quòd  
initium bonae voluntatis ex nobis esse dicebant, ex quo  
& Deum iuuare voluntatem, quia ipsa incipit  
velle: & hoc in eis impugnatur Augustinus libro de  
Prædestinat. Sanctior. cap. 2. & sequentibus, vbi  
foli Deo tribuendum esse dicit initium bonae vo-  
luntatis. Ergo ex sententia Augustini necessarium  
est, vt in efficiendo ipsomet consensu prius solus  
Deus verè, ac physicè influat efficiendo, & in-  
choando actum, vt ita verum sit, nos consentire,  
quia Deus facit nos consentire, & non à contra-  
rio. Nam si contrarium dicatur, incidit in Semi-  
pelagianum errorem, & consequenter Augusti-  
no contradicatur. Et confirmatur hac obiectione ex  
illo modo loquendi, quo Augustinus in eodem  
loco utitur contra Semipelagianos, dicens, Deus  
totum Deo, quia nimirum etiam ipsum initium  
consentiendi, ex Deo est, vtrique prae-determi-  
nante voluntatem, vt in actum prodeat. Et sic  
etiam dixit libro 4. contra duas epistolas Pelagia-  
norum capite 9. Nunquid Christianus liberum arbi-  
trium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quòd  
rectè viuimus?

Hanc verò obiectionem saepe in superioribus refuta-  
ta est; Et in primis peccat sicut praecedens. Semi-  
pelagianorum errorem malè interpretando. Illi enim  
errant, dicentes, ante omnia gratiae initium pra-  
cedere in nobis affectum aliquem liberum, seu  
bonum salutis desiderium, aut propositum fidei  
solis viribus liberi arbitrij conceptum, & hoc di-  
cebant esse initium salutis. Et hic est error, contra  
quem scripsit librum de prædestinat. Sanctior. Au-  
gustinus, demonstrans initium fidei non esse ex  
nobis, sed ex gratia, vtrique in eodem sensu de illo  
initio loquens, vt constat ex epistolis Prosperi, &  
Hilarij ad illum, & ex omnibus, quae circa canonem 5.  
Con-

Concilij Arauſicani ſuprà vidimus. Ex quibus etiã conſtat hoc initium, de quo Auguſtinus contra Semi- pelagianos loquitur, nõ eſſe influxũ voluntatis co- operantis gratiæ vel gratiæ cooperantis cum libero arbitrio, vt inter ſe comparantur ſecundũ ordinẽ prioris, vel poſterioris natura: hæc enim ſpeculatio valde aliena eſt ab intentione Auguſtini, & imper- tinens ad illum errorem conſutandum. Nam Maſ- ſilienſes loquebantur de actu voluntatis factõ à li- bero arbitrio, ſolo ſuis viribus, qui non ſolum na- tura, ſed etiam tempore poteſt præcedere omnia gratiæ auxilia, & eſſe meritum primi auxilij, & hoc ſenſu ſubiiciebant gratiam obedientiæ humanæ, & in eodem ſenſu dicuntur ab Auguſtino feciſſe gra- tiam peſſiſſequam arbitrij, quæ omnia non poſſunt ad cauſam de qua tractamus adaptari, vt in citatis etiam locis latè oſtenſum eſt.

Deinde dicimus quodd licet loquamur de initio fidei, aut ſalutis in illo ſenſu, id eſt, de primo in- fluxu voluntatis in ipſummet conſenſum ſemper ſubiſſit, veraque eſt ſententia Auguſtini, ſcilicet, etiam hoc initium eſſe tribuendum Deo, & eſſe do- num eius, non quia prædeterminet voluntatem ad illum, ſed quia præparat voluntatem ex ſola miſe- ricordia, vt dicit in eodem libro de Prædeſtinat. Sanctõr. cap. 6. & aliis locis, vbi declarat hanc præ- parationem facere Deum per gratiam congruam, vt vidimus, & quia voluntatem præparatam adiu- uat, vt dicit in Enchirid. c. 32. Hoc autem initium ſecundũ Auguſtinũ, ita eſt donum Dei, vt ſit eius ſolius, & nihilominus adiungenda eſt efficacia vo- luntatis, vt idem Auguſtinus dixit l. 2. de Peccator. merit. c. 5. & ideo non ſoli Deo, ſed etiam liberẽ vo- luntati actus liber tribuitur, vt dicit tract. 4. in epi- ſtolam Ioann. & c. 68. & 83. Neque hinc fit, hoc ini- tium ita eſſe à voluntate, vt ab illa ſola ſit prius na- tura quàm à Deo, vel à gratia, quanquã enim aliqui Catholici ita interdũ loquantur, & nõ pertineat ad errorem Semiſepelagianorum, nõ eſt tamen, vt ſæpe diximus, quia inuoluit repugnantiam, cum in vna indiſſibili actione nõ poſſit eſſe cauſalitas. Nec ex parte voluntatum Dei, & hominis ordinem conſi- derando, poteſt antecedere voluntas hominis, ſed potiùs voluntas Dei antecedit, quanuis non præ- determinando, ſed offerendo concurſum poſt ex- citantem gratiam, vt iam etiam explicauimus. In ipſo autem actuali influxu ad extra non eſt ordo prioris, aut poſterioris natura, ſed ſimultas, vt ex doctrina Auguſtini de gratia adiuuante, cum in vna cooperante in libro 3. probatum eſt. Ac denique etiam in hoc ſenſu non eſt vera illa cauſalis, quam Maſſi- lienſes in ſuo, & longè peiori admittebant, quia homo incipit, Deus perficit, vel quia homo opera- tur, Deus illum adiuuat, quia influxus hominis nullo modo eſt cauſa concurſus, vel adiutorij di- uini, cum non antecedit, ſicut dictum eſt, ſed eſt concauſa, ſine qua Deus non adiuuat, & ita ſolum dici poteſt, quodd Deus non adiuuat, niſi voluntas coadiuuet, nec voluntas influit, niſi Deus influat, & inuuet illam, quæ ſunt veriſſima.

Et hinc etiam patet ad confirmationẽ, quo ſenſu dictũ ſit ab Auguſt. *Detur totum Deo.* Hanc enim ſen- tentiam idem Sanctus explicuit in eodem l. de Præ- deſt. Sanctõr. c. 3. & clariùs in Enchirid. c. 32. dicens, *Detur totũ Deo, qui hominis voluntatẽ bonam, & præparat adiuuant, & adiuuat præparatam.* Modus ergo ille lo- quendi eſt contra Semiſepelagianos, qui initium bonæ voluntatis tribuebant homini, perfectionẽ autẽ Deo; contra hos ergo ait Auguſt. *totum;* id eſt, vtrumq; & quicquid boni eſt in homine, dandũ eſt Deo prin- cipali auctori, non tamen eodem modo, (vt ibidem ſtatim explicat,) quia initium ſolus Deus operatur, præparando voluntatem per ſancctam inſpirationẽ conſenſum autem, ſeu bonam voluntatẽ operatur

adiuando illam, & principales partes habendo in illa, non tamen liberi arbitrij cooperationem ex- cludendo. Et ideo aliis locis ſæpe dicit, rectè tribui voluntati, quod veniat vocata, licet vocari ſit ſo- lius Dei ſerm. 15. de verb. Apoſtol. & de Spirit. & litera. cap. 34. & aliis locis ſuprà citatis. Et ideo in eodem lib. de Prædeſtinat. Sanctõr. cap. 3. ait, *Vtrumque noſtrum eſt;* id eſt, velle, & operari, propter arbitrij libertatem, & vtrumque Dei, (non propter præ- determinationem, ſed propter Spiritum fidei, & cha- ritatis.

Tertia obiectio ſumi ſolet ex eo, quod frequen- ter ait Auguſtinus, hominem agi à Deo in operibus bonis, vt lib. de Grat. Chriſti cap. 25. & alibi ſæpe: perinde autem eſſe videtur agi, quod determinari. Et poteſt augeri hæc obiectio ex libro de Actib. Cõ- cilij Palæſtini, quem in 6. Prolegom. reſuſcitamus, vbi cap. 2. dicit, *plus eſſe agi, quàm regi, nam qui regitur, ali- quid agit, qui autem agitur, vix videtur agere.* Reſponde- mus Auguſtinum in hac locutione imitatum eſſe Paulum ad Roman. 8. dicentem, *Qui Spiritu Dei a- guntur, hi ſunt filij Dei,* quod à Paulo certè non eſt di- ctum propter prædeterminationem phyſicam, ſed propter Spir. S. inſtinctus, & inſpirationes, quibus gubernantur illi, quos ipſe inhabitat, & gubernat, vt cap. declarauit. Non igitur Auguſtinus in alio ſen- ſu loquutus eſt, neque alium peregrinum ſenſum à Paulo affingere voluit. Quod ipſe ſatis in Enchirid. declarauit, dicens cap. 64. *Quamuis filij Dei Spiritu Dei agantur, ſic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proſequentur ad Deum, vt etiam Spiritu ſuo interdum deſiciant.* Vbi pondero verbum *aguntur*, per verbum excitantur, ab Auguſtino exponi, & ideo non ita agi, vt prædeterminentur, cum interdum Spiritu ſuo reſiſtant. Et ſic etiam dixit lib. de Gratia Chriſti c. 25. *Vt agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Et paulo antea. *Non quia nos non volumus, aut quia nos non agimus, vtique propriè, & moraliter, ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Et de corrept. & Grat. cap. 2. hoc declarat per alia ver- ba Pauli 2. Corinth. 13. *Oramus ad Deum, ne quid fa- ciatis mali,* per quam orationem ait, poſcebat Apoſtolus inſpirationem bonæ voluntatis, atque operis. Et ſubdit in- feriùs, *Intelligent filij Dei Spiritu Dei ſe agi, inſpiratione nimirum bonæ voluntatis, & per ſuauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum.* quæ omnia non certè phyſicam prædeterminationem, ſed morale, & diuinum regimen declarant. Ac de- nique ſerm. 13. de Verb. Apoſt. eandem ſententiam declarans, verbum *agendi* per verbum *regendi* ex- ponit, & modum regiminis hiſtribus verbis expli- cat, *Non lege precipiente, minante, promittente, ſed Spiritu exhortante, illuminante, adiuuante.* Quod ergo in alio loco dicit, *plus eſſe, quàm regi;* quoad vocis energiam, & emphatiſm, intelligendum eſt, nam in re ipſa Spi- ritus ſancctus non agit homines niſi regendo, & iu- uando illos, per verbum autem *agendi*, ſignificatur hoc regimen eſſe potentiſſimum ad rectè dirigen- dum hominem, & vt illum reddat obſequentiſſi- mum, & hoc ſignificauit Auguſtinus illis aliis ver- bis, *Qui agitur, vix aliquid agere intelligitur*, nam di- cendo *vix*, locutionem correxit, ne liberam actio- nem & determinationẽ voluntaria tollere videre- tur, & gratiæ abundantiam, & ſingularẽ protectio- nem, non phyſicã prædeterminationẽ ſignificauit.

Quartõ obiciuntur vulgares loci Auguſtini, in quibus gratiam requirit efficacem, imò & efficacis- ſimam de grat. & l. arb. c. 5. 8. & 16. de qua aliis locis dicit, per eam inclinare Deũ voluntatẽ hominis in nobis mirabili, & ineffabili modo operando noſtrũ velle, & agendo quod vult in cordibus hominũ vt efficiat, dicit in l. de prædeſtinat. Sanctõr. c. 20. vbi etiã ait, *Deũ imò & effi- ad vitam eternã parare, & conuertere hominum voluntates, caciſſimam,* & l. de don. perfeuer. cap. 6. ait. *Potens eſt, & à malo in idem Aug.*

Obiectio 3. ex eo quod ait Auguſti- nus, homi- nem agi à Deo in ope- ribus bonis. Reſponde- tur.

Roſa. 8.

Auguſtin.

2. Cor. 13.

Idem.

Auguſt.

Obiectio 4.

locorũ Au- guſtini, in quibus gra- tia requirit efficacem;

imò & effi-

ad vitam eternã parare, & conuertere hominum voluntates, caciſſimam,

& l. de don. perfeuer. cap. 6. ait. Potens eſt, & à malo in idem Aug.

bonum flectere voluntates, & ad malum pronas convertere & dirigere in sibi placitum gressum. & de gratia & libero arbitrio capite vigesimo Voluntatem, ait, per gratiam ex mala in bonam mutari. Et addit, Voluntates creatas ita esse in Dei potestate, ut eas quod voluerit faciat inclinari.

10.  
Diluitur  
obiectio.

Respondemus hæc, & similia valde generalia esse, omnes enim fatemur, hæc omnia esse in potestate Dei, cum ab illo petamus, Convertere nos Deus salutaris noster, & similia. De modo autem est controuersia. At de hoc numquam Augustinus dixit esse per physicam prædeterminationem, nec per generalem concursum debitum creaturis, sed per ineffabilem Dei prouidentiam, qua Deus illuminat, excitat, mouetque interius, & exterius hominum mentes. Quod ex eisdem locis manifestum est, tum quia his eisdem verbis dirigendi, & gubernandi vritur, tum quia testimonia scripturæ, quæ adducit, de hoc genere prouidentia loquuntur, tum ex locis supra allatis, in quibus hanc conuersionem, seu mutationem per vocationem congruam fieri dicit. Et ideo quæst. 2. ad Simplician. eam vocat effectricem bonæ voluntatis. Vnde lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. exponendo verba orationis Dominicæ, iuxta sententiam Cypriani, ait illam orationem fieri non solum pro volentibus, sed etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus, ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, & addit, A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, preparatur voluntas a Domino? Ecce modum, quo Augustinus putauit, illud fieri a Deo, preparari autem voluntatem non est prædeterminari, sed est congruè vocari, & ut verba ipsa præferunt, & aliis locis ipse Augustinus explicat, ut capite præcedenti ostensum est. A signo potest etiam hoc declarari, quia interdum idem Augustinus declarat hanc efficaciam per eam, quam habet Dæmon ad inclinandam voluntatem hominis per tentationes, & instigationes prauas, ut lib. de grat. & liber. arbit. cap. 20. libr. 5. contra Iulian. Nam licet declaratio non sit æquali, vel omnino simili, ut supra etiam dixi, nihilominus, ut sit apta, oportet, ut in modo sit inter eas saltem generalis conuenientia quoad moralem inductionem. Quatenus ergo Deus voluntatem præmouet, inducendo illam efficaciter, moraliter eam mouet secundum Augustinum, licet ut cooperetur cum illa non solum moraliter, sed etiam physice consensum eius efficiat.

11.  
Obiectio 5.  
Augustinus  
vbique tri-  
buere hanc  
efficaciam  
omnipoten-  
tiæ Dei, cui  
nihil dene-  
gandum est.

Quintò ponderant Augustinum vbique tribuere hanc efficaciam omnipotentia Dei, cui nihil negandum est. Sic dixit lib. de grat. Christi cap. 24. Legant, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atq; doctrina insonante foris, sed interna, atque occulta, mirabili, atq; ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates. Et latissime idem docet lib. 5. contra Iulian. c. 3. & de grat. & liber. arbit. cap. 20. & de Corrupt. & grat. cap. 5. ubi ait, sine correptione posse Deum, quem velis, ad penitentiam, & potentissimo sue medicina potestate convertere. Et epist. 107. dixit, omnipotentissima facilitate. Ac denique in Enchirid. cap. 95. dicit, efficacissimam esse voluntatem Dei, quæ nihil vult, quod non faciat, quia omnia quæcumque voluit, fecit. Quod vique, ait, non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedit, ut subdit cap. 98. Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere, & similia repetit c. 102. & 103.

12.  
Respondet  
15.

Respondemus, procul dubio esse opus omnipotentia Dei efficaciter convertere voluntatem hominis quo voluerit: hanc verò omnipotentiam non minus, imò magis quodammodo ostendi faciendum hanc mutationem per vocationem con-

gruam, cooperante liberè humana voluntate, & cum Deo determinante nondum prædeterminata, quam si fiat per physicam prædeterminationem, quia maioris virtutis, & sapientia est, ita mouere, & inducere voluntatem, ut liberè, & infallibiliter consentiat, seipsam determinando, quam ita illam mouere, ut ex necessitate consentiat, quod per prædeterminationem fit. Itaque hoc opus merito tribuitur omnipotentia Dei, quia solus ipse potest mentem humanam intrinsecè mutare, vel intellectum mirabili modo instruendo, & illuminando, vel voluntatem bonis affectibus, & congruentibus imbuendo. Non est tamen opus solius omnipotentia, sed præeunte infinita sapientia, & præscientia Dei, qua solus nouit vnicuique congruentem adhibere medicinam, quia solus præscit, quod vnicuique creaturæ, vel facultati eius congruat, vel quomodo suadere debet ut persuadeat, vel mouere voluntatem, ita ut non resistat, ut in locis præcedenti capite allegatis semper Augustinus declarat, præsertim dicta q. 2. ad Simplician. de don. perituer. cap. 4. & de Corrupt. & grat. cap. 12.

Et hinc etiam est, ut ad eandem omnipotentiam pertineat non vno tantum, sed innumeris, & infallibilibus modis posse efficaciter convertere hominum voluntates, quia per infinitam sapientiam nouit omnes modos possibiles, quibus suauiter voluntas, & efficaciter in consensum trahi potest, & diuina omnipotentia omnes complectitur, & quem vult facillimè exequi potest. Ergo ex omnipotentia non certè colligitur physica prædeterminatio, imò nec colligitur quoddam sit possibilis cum vfu libertatis, quia non extenditur ad repugnantiam, sed solum colligitur, quod sit possibilis, si Deus velit necessitate voluntatem, ut supra dictum est. A signo etiam potest hæc responsio confirmari, quia interdum extendit Augustinus illum effectum omnipotentia & actus etiam malos, ad quos sine vlla dubitatione non prædeterminat Deus voluntatem, nec etiam directè inducit: magna autem vis omnipotentia illius est, quod solum permittendo malum, & inducendo ad obiecta de se bona, vel quæ sine peccato possunt amari, conuertit voluntatem hominis infallibiliter, quo vult, etiam si præcitate voluntatem non esse id facturam sine aliqua culpa. Quæ efficacia ita est etiam diuine omnipotentia, ut non sit sequenda a diuina sapientia, & præscientia ergo in hoc sensu loquitur de omnipotentia respectu actuum bonorum, ut sermonis consecutio sit vniformis, quamuis non sit necessè in omnibus seruari similitudinem, ut in lib. 3. latius declarauit.

Sextò solet nobis obiici, quia si Augustinus ita de auxilio efficaci sentiret, non diceret esse occultissimum mysterium, cur ex duobus vocatis vnus suadeatur, & non alius, cur Deus hunc trahat, & illum non trahat, quia facillè posset reddi ratio, quia iste vult, & ille non vult: at verò Augustinus non ita respondet, sed raptus in admirationem ad re iudicia Dei occulta negotium remittit, nobisque ne curiosius illa inuestigare velimus, consulit, ut videre licet tract. 26. in Ioan. de Spirit. & liter. cap. 34. lib. de prædestinat. Sanctior. cap. 6. & 8. & super alibi. Ad hoc verò in superioribus responsum est, nunc etiam dicimus, optimè nouisse Augustinum, quod in hac arca Ecclesia pro voluntate quisque vel palam, vel frumentum est, ut ipse dixit in lib. de vera Relig. cap. 7. Neque ignorauit ex duobus vocatis, vnum credere, & alium non credere, quia ille vult, & ille non vult, & ille non vult credere. Sic enim dicit c. 6. de prædestinat. Sanctior. referens verba Malitiosum, Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti credere, nolunt autem alij. Respondet. Quis hoc ignorat? quis hoc negat? Et dicit de Spirit. & liter. cap. 33. eandem tractans quæst. primò

modò sic responderet. *Primo* igitur illud dicamus, & videamus, *utrum* illi satis faciat quaestioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum a creatore animae rationali, illa media vis est, quae vel intendit ad fidem, vel inclinat ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, quae credit Deo, dici potest homo habere, quam non accepit, quādoquidem vocante Dei surgit de libero arbitrio, utique a Deo adiuto. Et ita in toto illo capite rationem illam prosequitur, quod unus sit reus, quia contemnit vocationem, alius iustificatur, quia illam amplectitur.

Addit verò statim in cap. 34. *Hac disputatio, si quaestioni illi solvenda sufficit, sufficit.* Vbi illam non reprehendit, sed permittit iudicari sufficientem, quod dicere potuit, vel quia vltior inuestigatio, & resolutio non pertinet ad fidem, sed ad illas subtiliores quaestiones de quibus dixit Celestinus, *sicut non est necesse adstruere, ita nec licet contemnere*, vel certe, quia in aliquo ordine ratio illa sufficiens est, utique in ordine executionis, ut nos explicamus, licet secundum ordinem praedestinationis quaestio maneat, cur huic Deus congruam praepraerit vocationem, & non illi. Et haec est quaestio, quam Augustinus admiratione dissolvit, & ad iudicia Dei occulta reservat. Et ideo dicto capite sexto de praedestinatione Sanctorum post illam responsionem, *Quis hoc negat, addit, sed cum alijs prepararetur, alijs non prepararetur voluntas a Domino, videndum est, utique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Iam verò in superioribus ex doctrina eiusdem Augustini ostendimus praepraerit voluntatem a Domino per inspirationes, & illuminationes, non per concursum, seu per physicam praedeterminationem. Et simili modo in libro secundo de peccator. merito & remissione capite 5. dixit, *Cur istum illo, illum isto modo adiuuet, pene ipsum est, & aequitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* Ac denique in capite 14. de dono persever. in mysterium divinae praedestinationis reuocat, quod his congrua suis mentibus verba, vel signa, quibus moneantur ad fidem, offerantur, alijs verò non offerantur. Ergo propter hanc Augustini admirationem non est necessaria praedeterminatio: nihil ergo in doctrina Augustini inuenimus, aut nobis haec tenus propositum est, ob quod illi possit talis sententia attribui, etiam si defensores illius sententiae quoddam expresse Augustini, frequentissime, & asseueranter affirmant. Ideoque prudentem Lectorem admonemus, ut non verborum exeggerationes, sed vim testimoniorum attentissime meditetur.

## CAPUT XLVIII.

Quid post Augustinum Patres Latini de Gratia efficaci senserint.

**P**ROpono quaestionem de solis Patribus Latinis, quia in Graecis, qui post Augustinum scripserunt, nihil in hac causa dictum inuenio, praeter ea, quae ex illis, qui prope tempora Augustini fuerunt in cap. adduxi. Solum posset referri locus Damasceni lib. 2. de fide, cap. 29. & 30. & contra Manichaeos, ubi praedestinationem actum liberorum negat, de quo satis in alijs locis dictum est. Alia verò, quae in illo capite dicit, ut nihil boni fieri a nobis posse sine auxilio Dei, liberum tamen nobis esse Deum vocantem sequi, & similia, valde generalia sunt.

Omissis ergo Graecis Patribus, inter Latinos Augustino propinquissimus fuit Prosper, gratia Dei, & Augustinianae doctrinae acerrimus pro-

pugnator. Ille igitur in libro secundo de vocatione capite nono alias 26. & 27. Gratia, (inquit,) Dei in omnibus iustificationibus principaliter praeminet. Modum autem declarat, dicens, suadendo exhortationibus, & alijs externis motionibus, quos recenset, quibus adiungit internas, dicens, Dando intellectum, inspirando consilium, edocue ipsum illuminando, ac fidei affectionibus imbuedo. Et hic terminat motiones praueientis gratiae, & statim subiungit, *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, ac quae coniungitur*, scilicet, subiungitur praueienti gratiae, coniungitur adiuvanti, seu cooperanti. Et addit de voluntate, *Quae ad hoc praedictis est excitata praesidio, ut diuino in se cooperetur operi.* Vbi ponderandum est inter excitantia auxilia, & consensum nullum ponere auxilium praedeterminans, sed ipsi voluntati cooperanti diuino operi tribuere, quod se coniungat praueienti gratiae Dei, de qua paulo post dicit, *Quae operatio per innumeros modos sine oculis sine manifestis omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, eorum est nequitia, quod autem a multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntas humana.* In quibus verbis imitatur Prosper Augustinum, ideoque eiusdem modis ponderanda sunt, quibus similia in Augustino consideramus, quos hic repetere necessarium non iudico.

Est etiam attentè legendus Prosper contra Collator. ferè per totum, praesertim cap. 5. 8. & 16. ubi per illuminationes, inspirationes, & bonos affectus declarat modum quo Deus praueit, & trahit voluntatem, & in eis ponit initium salutis contra Semipelagianos, & post illas motiones immediate illud.

lis subiungit liberam cooperationem voluntatis humanae ad consensum cum adiuvante gratia. Et in capite 14. id latè prosequitur, ubi verba illa notari possunt, *Quis perspicere, aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur, quae oderat, diligat, &c.* Non ergo per physicam praedeterminationem, sed per internos affectus, illuminationes, ac motiones declarat Prosper mirabiles mutationes, quas per gratiam suam facit Deus in cordibus hominum. Et his modis adiungit statim, factas esse conuersiones Matthaei, Pauli, Zachaei, & boni Latronis, de quo ait, *In Latronis quoque iustificatione, etiamsi nulla operantis gratiae intelligeretur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum?* utique per illas illuminationes, & affectiones, quibus Deus animum humanum visitat, quas homine operantis gratia in his verbis intellexit. Et in eodem capite expendo quod in fine dicit, *Cum Deus sit qui operatur omnia in omnibus, siue alios sic, alios sic attrahere velit, ad eum nemo nisi aliquo modo attractus venit.* Certè si attractio est praedeterminatio, non alios sic, alios sic, sed omnes sic, nec quilibet aliquo modo, sed omnes vno modo attrahit, ergo modus ille alienus est à sensu Prosperi, modus autem tractionis per affectiones, in quibus ineffabilis varietas cernitur, est illi maxime consentaneus.

Eandemque doctrinam indicat in cap. 26. dicens bonam voluntatem, quae adheret Deo, nec negantem esse hominis esse propriam, & confitendum est Deo inspirante conceptam. Quid, quæto aliud nos dicemus? Fortasse si aliquis nostrum id dixisset, tanquam Semipelagianus ab aduersarijs damnaretur. Denique in cap. 6. responsion. ad Gallos ita concluditur. *Praedeterminationem autem Dei, siue ad bonum, siue ad malum in hominibus operari ineptissime dicitur, ut ad primumque homines quaedam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas sine gratia, quia verba videntur aded expressa, ut non videam quid amplius desiderari possit.* Nam quod non praedeterminationis, sed praedestinationis nomen posuerit, nullum subterfugium praebet dictis auditoribus, cum ipsi dicant, decretum ipsum, quo Deus

stino propinquissimus.

Elusidem Prosperi locus, contra Collator. ar. reuè legendus.

Adhuc alius